

coenobio sito pro remedio animae huius dictae viduae mariti et aliorum parentum ipsorum libere contradiderunt, ita quod annuatim in anniversario dicti mariti conventui clericorum et monialium¹⁾ vinum et triticeus panis ministretur.

3. Notae Isnenses.

Anno domini millesimo quadragesimo secundo XVIII. Kal. Januarii [*Dec. 15.*] dedicata est ecclesia nostra ab Eberhardo, episcopo Constantiensi, domino Wolfrado, comite de Veringen, impetrante cum Hiltruda coniuge sua veneranda in anniversario filii eorum Luipaldi infantis.

Anno domini 1096, VII. Id. Febr. (*Febr. 7.*) comes Manigoldus²⁾ et uxor eius Lietphilda et filii eorum Waltherus et Wolfradus et Irmingard, soror Manigoldi, cum filio suo Manigoldo, quicquid proprietatis iure habere visi sunt in ecclesia, quae sita est in villa Ysininensi, tradiderunt cum omnibus, quae pertinebant ad eam prius, insuper dotem augendo cum dimidia parte eiusdem villae cum silvis, pratis, pascuis, moleninis, aquis et omnibus ad eam pertinentibus, quae usui eorum serviebant, absque eo, quod clientes eorum possidebant, insuper locum, qui dicitur Mechinsowe³⁾, quam soror eius Irmingardis cum filio suo Manigoldo contradidit, et locum, qui Cella⁴⁾ nuncupatur, quem ipse comes addidit, cum his, quae clientum eorum erant in pago Herigzur⁵⁾ in Tussin, in Watte, in Waldu⁶⁾ et in Stainowe⁷⁾, cum his omnibus abbatiam construentes. Et ut firmitus stabiliretur, domino Ottakero de Tanchilishofen⁴⁾ ea conditione tradiderunt, ut ipse apostolicae dignitati et principali libertati donaret, ut locus ipse ab apostolica auctoritate defensus [sit et] liceat ipsius monasterii monachis in futuro pacifice residere et dei servitium peragere atque abbatem vel inter se vel ubicumque eis placuerit secundum dei timorem eligere. Et tali modo definierunt, ut, si quis ex ipsis vel ex haeredibus eorum hanc traditionis firmitatem

1) Isny war im 12. und 13. Jhdt. ein sog. Doppelkloster. 2) Von Altshausen oder Veringen. Sein wohl erst bei Kirchenumbau 1757 vernichtetes Grabmal im Kloster Isny beschreibt die Klostergeschichte (A 16) also: 'In medio navis ecclesiae tumba eius lapide quadrangularem oblongo a terra et pavimento aliquantisper elevato tecta est, qui eius imaginem armatam, insignia et haec in limine verba sculpta referebat: Anno millesimo centesimo IV. Mangoldus nobilis comes de Veringen fundator huius monasterii Ysni'. Nach dieser Beschreibung aber stammte dieses Grabmal nicht aus dem 12., sondern erst aus dem 14. oder 15. Jhdt., einer Zeit, welche derartige prachtvolle Sarkophage besonders liebte. Der Verlust dieses Monumentes, das jedenfalls ein treffliches Kunstwerk war, ist sehr zu bedauern. 3) Das jetzige Neutrauchburg, OA. Wangen. 4) Zell, Dengeltshofen, bei Isny, wirt. OA. Wangen. 5) Verschieden für Eritgow. 6) Gross-Kleintissen, Watt bei Hüttenreute, Königseggwald, wirt. OA. Saulgau. 7) Abgegangener, im Eritgau zu suchender Ort.